



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Catalogus Episcoporum Hildesiensium

Letzner, Johannes

Hildesheim, [ca. 1690]

VII. Walbertus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64252](#)

Pontifex ad ejus preces Ecclesiam Hildesiensem in specialem Sedis Apostolicæ protectionem suscepit. Anno 888. Concilio Moguntino, Anno 892. Arnulfo Regi in conventu Francofurtensi & Anno 895. Concilio Tiburiensi inter Primarios adfuit. Monasterium Virginum, prope Visurgim in monte, qui dictus est Sanctus, ut earum fortunæ, pudicitiae & vitae consideret, Hildesium transtulit, & Parthenonem iisdem construxit, eo ferè loco ubi nunc est curia Episcopalis, in quo sub S. Mariæ Magdalena patrocinio Deo servirent. Exeunte hoc seculo e vivis excessit i. Novembris in templo S. Cæciliæ humatus.

VII. WALBERTUS Cum esset religione & sanctitate, omnibusque virtutibus Præside dignis inclitus, ac fidei propagandæ zelo magnis Germaniæ Apostolis accensendus; ad Insulam Hildesiensem translatus; Dominicis Festisque diebus concionandi manus ipse obivit: Horis canonicis, aliisque officiis Divinis semper interfuit: cumque rerum temporarium curâ multum impediretur, omnia bona Ecclesiæ, in tres partes divisit, quarum tertiam Canonicorum sustentationi attribuit: eisq; Bayonem Administratorem sub nomine Præpositi constituit anno 893. Cui sequentibus annis Cellerarius adjunctus est, qui domi rem familiarem curaret, quemadmodum Præpositus foris. Tandem Walbertus, cum optimè præfuerit Ecclesiæ ad Superos evocatus est anno 903. 3. Novembris in Cathedrali Ecclesia ante altare S. Cæciliæ sepultus.

VIII. SEHARDUS Ex ordine Religioso ad mitram electus, multa ad ornatum Summaræ Aedis con-